


05

A

1498





14
CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
SEXTA

De
QUANTITATE
ET
QUALITATE

Corporis Naturalis,

Quam

Prosperante Jehovâ

PRÆSIDE

M. GORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

In florentissimâ Wittebergensi Academia

Examinandam proponit

GEORGIUS CAMRADIUS

Pichersreutho-- Palatinus.

Ad diem 13. Augusti Anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM.



*Reverendo, Clarissimo, atq; Excel
lentissimo viro*

Dn. GEORGIO ZEÆMANN S. S.
Theologiæ Doctori & Ecclesiæ Kemtheimensis Pastori
ac Superintendenti dignissimo.

NEC MINVS

*Reverendâ dignitate, auctoritatis eminentia, eximiâ
eruditione ac pietate clarissimo viro*

Dn. MICHAELI BOHEMO Ecclesiæ Vohenstrufen
sis Antistiti & vicinarum inspectori ut meritissimo ita
vigilantissimo.

VI ET

*Clarissimo, Doctissimo, autoritate, longoq; rerum usu
præstantissimo viro.*

Dn. M. JOHANNI PLANKO Illustris Gymnasii La
vingani professori primario.

AC

Reverendo, atque Doctissimo viro

Dn. M. DAVIDI CAMRADIO Pastori Ecclesiæ
Püchersreuthensis vigilantissimo Parenti suo perpe
tim colendo.

*Dominis Evergetis Mæcenatibus,
fautoribus, Promotoribus, Præceptoribus
ac parenti summo honoris & amoris culo
tu εις αιδιον honorandis.*

Exercitium hoc Φυσικόν.

*In studiorum Γεωμετρία, Gratiæ mentis
ἀποτίμημα, debita observantiæ ἀπόδειγμα
D. D. D. D. Respondens*



05 A 1498

CONTEMPLATIONUM PHY-
SICARVM GENERALIVM
SEXTA.

Præloquium.



Vod à Lyricorum principe ele-
ganter jam olim dictum est:

--- Nil nisi magno

Vita labore dedit mortalibus:

eius veritatem accurati rerum Speculatores
nimium quotidie experiuntur. Ita namq; cum
studiis nostris comparatum est, ut quanto-
quodq; præclarius fuerit, & expeditu dignius; tanto sit laboriosius,
impetratq; difficilius: Quinimò ipsa divina bona solo labore mortalibus ob-
venire jam immortale est, in hujus effati memoriam nunc quidem
tanto libentius redire placuit; quanto difficiliore sunt res hac in disputa-
tione contentæ. Agendum namq; & tractandum in ea de Quanti-
tate & Qualitate corporis naturalis, de quibus tot mota hæcenus contro-
versæ, tot exorte difficultates, ut ea acie ingenij homo mortalis vix dijudi-
care queat. Albedo & sapor in lacte cur intrinse se penetrent,
si aliquis ex te querat: ad qualitatem tibi recurrendum est. Cur manus
non penetret pedem si interrogatus fueris è quantitatis natura de-
prompta responsione querenti satisfacere poteris. Quæ contemplatio dif-
ficilis quidem, sed cum iucunditate, conjuncta quemvis ad stu-
dium Physicum excolendum allicere debet. Hæc enim licet ad machi-
nas farinarias extruendas non faciat, exiit tamen animum insitite
rubigine, uti loquitur seculi sui miraculum Iulius Scaliger. Quo-
circa quid quantitas; quid qualitas; quid finitum; cur infinitum à corpore
naturalis removeatur; quid maximum, quid minimum naturale, hæc συζη-
τησθαι expediemus methodo nostra consueta, ut scilicet rem prius in thesi mu-

niamus, axiomatibus postea defendamus, & sophismata adversariorum pro-
sternamus. Deus omnis boni fons & origo, veritatis creator, no-
bis veritatem amantibus & inquirentibus, Spiritum Sapiens
per & propter filium, qui ipsa Veritas est, Vita, & Sapientia, lar-
giatur.

Thesis I.

Affectiones corporis naturalis distinximus superiore dis-
putatione in internas & externas. Internæ subdivisæ fuerunt in a-
ctus puros & actum cum potentia junctum. Hic motus est, cujus natu-
ram nuper a disputatione evolvimus; illi sunt Quantitas & qualitas,
quas hac disputatione persequemur, initio facta à quantitate. Cujus me-
thodi rationem si quis audire avert, hanc evolvat: Quantitas tribui-
tur rebus ratione materiæ, qualitas respectu formæ licet sæpè etio-
am materiam sequatur ut gravitas, levitas. E. quantitas præcedit qualita-
tem, ut Materia formam.

II.

De quantitate tractant Metaphysica, Physica & Mathema-
tica, sed quælibet in certa determinatione. Metaphysica eam con-
siderat in ultima abstractione quatenus modus Entis est, & tanquam sum-
mum genus accidens contrahit, ad quam considerationem pertinent ille
questiones: an quantitas sit accidens; an realiter à substantia differat
&c: Mathesis respicit quantitatem abstractam à materia & æ-
qualitatem proportionemq; in ea considerat. Physica eam tanquam cor-
poris naturalis consequens pertractat.

III.

Intelligitur autem potissimum hic quantitas continua, cu-
jus consideratio in Physicis duplex est, scilicet ut extensio est, & prout
terminus corporis naturalis dicitur. Priore respectu affectio
corporis Physici est, & differt à similitudine essentiali ut angustius à latio-
re. Affectio est: quia cum corpore naturali, convertitur, quod etiam ejus
genuinum est subjectum: Nam Ens & substantia non sunt subje-
ctum quantitatis, quia dantur substantiæ quantitatis expertes, ut Deus
Angeli, Anima hominis. In Deo enim illa imperfectionem
argueret; In Angelis spirituali naturæ contradiceret; in anima ho-
minis

minis cognitioni universalium obstaret, ita ut mens humana omnia per ideam fieri minimè posset. A finitudine essentiali ut Augustinus à latiore ideo differt, quia à finitudine, ad quantitatem non convertitur existendi consequentia. Nam dicere possum: Omne quantum est finitum & determinatum essentiali, sed non contra: omne finitum & determinatum essentiali est quantum; alias etiam Angeli quantitatem haberent.

IV.

Ut terminus corporis naturalis quando tractatur & perpenditur quantitas: tum nos in cognitionem finiti, & infiniti ducit. Cum enim omne corpus sit magnitudine finitum, naturali Philosopho vel maximè incumbet agere de finito, cui annectitur infiniti tractatio.

V.

Prior quantitatis consideratio ut efficiatur, reddaturq; clarior, quantitatis definitionem ex Metaphysicis repetemus, ubi hunc in modum describitur: Quantum, vel quantitas est illud quod est divisibile in ea, quæ in sunt, quorum unumquodq; unum quid, & hoc aliquid aptum natum est esse. Id est dividi potest in ea, quæ formaliter ac realiter insunt, quomodo partes lineæ sunt in lineæ. Dicitur: quorum unumquodq; &c: hoc est partes post divisionem sunt hoc aliquid per sese ab alijs separatim existentes, quibus verbis distinguitur à compositione & compositis, quæ licet in sua componentia resolvi possint: non tamen ita resolvuntur, ut partes maneant hoc aliquid, uti in resolutione materialium videre est, ubi forma materialis perit.

VI.

Dividitur quantitas in continuam & discretam, de quibus speciebus Metaphysicus fusius. Continuum est, quod in semper divisibilia est divisibile, unde continua quantitas à Philosopho describitur, quod sit, cujus partes communi termino copulantur. Discreta ab eodem describitur, cujus partes communi termino non conhaerent. Hujus distinctionis veritas probatur ex motu rerum, quarum quaedam ita sunt comparatae ut una parte mota earundem altera etiam moveatur id quod non aliunde, quam ex quantitate continua evenit. Quaedam res contrario modo sese habent, quas discretas esse oportet. Requirit enim

nim natura ut quædam res essent continuæ, quo partes in toto unitæ fortius agerent, & Univerſi unitas eo melius ſubſiſteret. Requiſivit eadem, ut quædã res essent & discretæ, quo ex variis speciebus ad pulchritudinem facientibus totum univeſum poſſet conſtitui.

V I.

Ex hiſce elicitur, quod omnes res naturales ſint finitæ & quantæ; nunc agendum de determinatione quantitatis, ubi initio ſupponimus, quod quantitas per naturalem reſultantiam oritur à materiâ. Licet enim materia nulla propriè ſic dicta ſit actio: naturalis tamen reſultantia optimo jure ei tribui poteſt. Et illa à materia orta quantitas dicitur interminata, quæ forma accedente ex ſtatu interminato ad terminatum, uti loquuntur, deducitur. Determinatur autem quantitas i. reſpectu figuræ, quæ vel termino ut circularis figura, vel terminis clauditur ut reſtilinea, cujuſque variæ ſunt ſpecies, quas Mathematico evolvendas reliquimus.

V II.

II. Quantitatis determinatione corpora Phyſica determinantur juxta magnitudinem & parvitatem, ubi diſquiſitio inſtituitur de maximo & minimo naturali, in qua diſquiſitione termini à Philoſophis ſuper hac re traditi diligenter ſunt expendendi qui in tres diſtinguuntur claſſes. In prima reponuntur: Maximum quod ſic & minimum quod ſic. Maximum quod non & minimum quod non. Maximum quod ſic appellant ejusmodi quantitatis terminum, quem res naturaliter ita poſſidet, ut eum tranſire & majorem acquirere nequeat. Minimum quod ſic dicunt ejusmodi quantitatis terminum, ſub quo res naturaliter eſſe poteſt, ita tamen ut ſub minore eſſe nequeat. Illud dicitur terminus internus magnitudinis, hoc terminus internus parvitaris. Maximum quod non dicitur ejusmodi terminus, ſub quo res naturaliter eſſe non poteſt, & tamen ſub majori quantitate ei ſubſiſtere conſeſſum eſt. Minimum quod non eſt ejusmodi quantitatis terminus, ſub quo res eſſe non poteſt, & tamen ſub alia quavis minore eſſe poteſt, modo non excedat terminum parvitaris, quem laſgitur minimum quod ſic. Illud terminus externus parvitaris, hoc terminus externus magnitudinis vocatur.

V III. In

VIII.

In secunda classe proponitur distinctio inter maximum & minimum positivè & negativè acceptum, Positivè maximum dicitur, quo nec majus datur nec æquale. Negativè maximum est, quo quidem majus non datur, æquale tamen conceditur. Negativè minimum non habet minus, sed tamen æquale; Positivè verò minimum nec minus, nec æquale admittit.

IX.

In tertio ordine ponitur distinctio inter absolutè maximum vel minimum, quo in toto universo majus vel minus non datur; & inter maximum & minimum in suo genere, sive in respectu ad aliud, ut gigantes sunt maximi hominum, pygmaei minimi. His obiter addatur distinctio inter partes homogeneas & heterogeneas, illæ dicuntur, quæ eandem definitionem cum toto obtinent, hæ vocantur, quæ aliam à toto definitionem habent.

X.

His præmissis de maximo & minimo naturali sit conclusio I. In rota rerum universitate, & in qualibet rerum naturalium specie actu datur aliquod maximum & minimum. Nam 1. forma determinat compositum juxta omnia accidentia. Ergo etiam juxta quantitatem, & per consequens juxta magnitudinem & parvitatem. 2. Omnis motus est ad certum quendam terminum. Ergo & augmentatio & diminutio certa quadam quantitate, maxima & minima terminabitur.

XI.

II. In qualibet viventium specie dantur intrinseci magnitudinis & parvitas termini i. e. maximum quod sic, & minimum quod sic, extra quos terminos natura viventia nec producere, nec conservare potest, ita ut nullum ejus speciei individuum produci & conservari possit quod vel excedat illum magnitudinis terminum vel infra eundem consistat. Sit ex hypothese maxima hominis longitudo cubitorum quatuor, minima unius. Hac stante hypothese nullus gigni homo poterit, qui major sit cubitis quatuor, vel minor uno. Cum enim augmentatio sit determinata etiam quantitas, quæ per augmentationem acquiritur, erit determinata.

Nun-

Numquam enim compertum est, canem natum esse Magnitudi-
ne elephanti, vel in eam excrevisse: sicut nec elephanti procreatum esse
magnitudine canis, ut explicat Sennertus disp: phys. 5. th. 28. Qui
tamen magnitudinis & parvitas terminus mentis potius, quam corporis
oculis perspicitur potest.

XII.

III. Elementa determinatam magnitudinem habent à
parte continente, & à materia prima, quæ cum finitæ sit molis
etiam elementa in infinitum augeri minui nequeunt. Idem ju-
dica de mixtis inanimatis.

IV. In corporibus animatis duplex occurrit causa ob
quam in certam & definitam magnitudinem excrevunt. Una
à materia desumitur, & consistit in humiditate & porositate eiusdem.
Altera petita est à causa efficiente. Calor enim augmentationis causa
finitas habet vires & siccitate introducta ulteriorem accretionem non ad-
mittit. Ceterum de maximo & minimo Vide Thomam, 1. parte quæst.
7. art: 3. & Cajetanum super 1. part: quæst. 7. art: 3. Ægidium
Rom. 1. Phys: tract: 2, c. 4. quæst. 2. art: 2.

XIII.

Hiscæ positis statim sequitur quod non detur infinitum
actu in natura, & quidem neq; multitudine neq; magnitudine. De tali
namq; infinito hic loquimur explicationem terminorum isto-
rum, infiniti essentiâ, infiniti vigore, infiniti difficulter pene-
trabile designantis, Methaphysico relinquentes. Quæritur
igitur, an res aliqua naturalis actu detur, quæ sit vel numero,
vel magnitudine infinita, vel an sit res aliqua naturalis, cujus qui secundum
quantitatem aliquid sumunt, ijs aliquid semper licet extra accipere, ad
quam questionem rectè negatè respondetur. Ubi enim datur maxi-
mum & minimum, ibi non datur infinitum. Atqui in rebus
naturalibus datur maximum & minimum, Ergo in rebus natu-
ralibus non datur infinitum.

XIV.

Deinde non datur infinitum magnitudine, nec multitu-
dine. E. nullum datur. Non datur infinitum magnitudine, quia
tale esset vel unum, vel multiplex. Non illud quia istud sensui, repu-
gnat;

gnat; non hoc, quia penetrationem dimensionum introducit. Adde quod hac ratione nullus esset motus, neq; motus terminus. Si enim infinitudo ulli rei adscribenda esset, certo caelo competeret. At hoc spatium 24. horarum redit ad idem punctum unde infinitum esse nequit, cum infinitum spatium in tempore finito non observetur. Non datur infinitum multitudine, quia multitudo supponit magnitudinem. Ergo infinitum multitudine supponit infinitum magnitudine, & sic infinita corpora introducerentur, quæ sine penetratione dimensionum concedere non possumus. Deinde si quis forsan, per infinitum multitudine intelligeret infinitas rerum species, is ita refutandus. Species speciem perfectione superat. Si jam infinitæ essent rerum species; mundus esset infinite perfectus infinitosq; perfectionis gradus obtineret, quod est falsum, quia mundus dependet dependentia inæquali ab alio, nempe à Deo qui solus infinite perfectus.

XV.

Sed hisce non negamus, dari aliquod potentiâ infinitum quemadmodum quantitas continua in infinitum dividi, discreta in infinitum augeri potest, quemadmodum Mathematicus lineam infinitam sibi concedi postulat, qua de re in quæstionibus.

XVI.

Succedit qualitas, quam esse affectionem corporum naturalium, hunc in modum probamus. Substantiæ agunt, & quidem vel agunt per substantiam sine accidente, ut Deus optimus Maximus, qui cum nullam planè agnoscat compositionem realem & Physicam, mediantibus qualitatibus agere, quando sc. ipse agit sine causas secundis non potest. In Deo enim nullum est accidens. Ubi vero nullum accidens, & tamen actio, ibi immediate ipsa substantia operatur. Substantiæ finitæ vero quia compositæ sunt, agunt mediantibus facultatibus, & sic Angeli agent qualitatibus quibusdam, sed non merè Physicis.

XVI.

Quibus præmissis nemo negabit, corporum naturalium actiones provenire à qualitatibus, uti cuilibet rem diligentius expendenti inclarescet. Si enim angeli corporibus simpliciores per substantiam immediate agere nequeunt, multo minus corpora natu-

B

ralia

alia operationes suas eo modo exerent. Quod enim illi cui magis inesse videtur non inest, id multò minus illi, cui minus inesse videtur, inest.

XVIII.

Vox qualitatis æquivoca est, & denotat 1. omne universale, 2. designat quale essentiale, sc. differentiam specificam; 3. omnī accidenti tribuitur; 4. pro physica affectione speciali, sc. qualitate prima & secunda sumitur; 5. accipitur pro eiusmodi accidente, quo res quales denominantur, quæ acceptio propria est, & pro ratione instituti nostri retinenda. Varia afferuntur in ultima hac significatione qualitatis definitiones, quas suis auctoribus relinquimus, cum qualitatis tanta sit analogia, ut sub unam definitionem vix cogiqueat. Nos liberum cuilibet relinquentes iudicium qualitatem hoc modo describimus: qualitas est affectio corporis naturalis, quo idem est efficax ad agendum.

XIX.

Dividitur qualitas duobus modis vel ex ipsa rei natura & interna qualitatis ratione: vel respectu nostræ cognitionis. Ex sua natura dividitur qualitas in potentiam naturalem & qualitatem efficientem. Potentia Physica aut est activa, aut passiva. Activa est aptitudo, corporis naturalis, per quam aliquid agere potest: seu est vis agendi in corpore naturali. Sic ignis urendi aptitudine naturali est præditus. Passiva est dispositio corporis naturalis ad patiendum, ut in ligno receptivitas uestionis est potentia passiva naturalis.

XX.

Deinde utraq; hæc potentia, sc. activa, & passiva est vel prima vel secunda. Prima dicitur, quæ proximè & immediate à forma fluit, ut in homine datur prima potentia ad loquendum & quidem in omni homine. Potentia naturalis secunda est dispositio certa temperamentorum & organorum, per quam prima illa potentia in actum deducitur uti in quibusdam hominibus est singularis vis ad Musicam & Poësin. Huc referatur distinctio auctorum quorundam, quæ distingunt inter potentiam & facultatem. Potentiam vocant dispositionem etiam sine organo, facultatem appellitant potentiam applicatam ad organum, ut in pede meo est potentia videndi, non autem facultas, quæ in solo oculo reperitur.

XXI. Qua-

XXI.

Qualitas efficiens est per & propter quam corpus natura-
le incurrit in sensus, & dividitur in alterantem & ex alteratione ortam.
Alterans est, quæ alijs qualitatibus alterationem infert, ut calor. frigus
Qualitas ex alteratione producta est, quæ ex alteratione &
mixtione orta alias res propriè non alterat, ut color res illas, quibus con-
spiciendus proponitur, non alterat, de qua distinctione agendum in parte
physices propria.

XXII.

Respectu nostræ cognitionis dividitur qualitas in ma-
nifestam & occultam. Manifestæ sunt, quarum causas facile indaga-
re & reddere possumus. Occultæ dicuntur latentes & absconditæ
quædam potestates, quarum ratio ex primis, & inde ortis qua-
litatibus difficulter reddi potest, ut magnes ferrum allicit, non reli-
qua metalla. Adamas non ferri duritie, aut ignis calore, sed hirci calido &
recenti sanguine rumpitur. Quorum sanè effectuum rationem red-
dere non possumus, sed latent. iidem animos temperatos, illu- Psal: 29.
dunt curiosis, ut meritò cum Regio Propheta exclamare possimus: v. s.
quam magnificata sunt opera tua Domine, & sapientiæ tuæ non
est numerus. Nec tamen omnes indiscriminatim effectus, quo-
rum causæ non cuivis obviæ ad qualitates latentes sunt referendæ, ne fi-
ant istæ inscitie asylum. Dividuntur qualitates occultæ in $\sigma\upsilon\mu\omicron$
 $\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$, & $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ rerum, de quibus iidem agendum in parte spe-
ciali Physica, quò etiam doctrinam hanc remittimus & axiomata apponis-
mus.

AXIOMATA.

I.

Continuum in infinitum dividi, & discretum in infinitum
augeri potest.

Sic nulla datur continui portio, qua non possit concipi minor; nul-
lus datur numerus, quin unitate addita augeri possit.

II.

Finitum non est capax infiniti. Sc. essentialiter & naturaliter,
benè tamen per unionem, non per intrareceptionem localem sed per com-
municationem supernaturalem.

B 2

Finita



III.

Finiti ad infinitum nulla est proportio.
Scilicet essentialis & univoca, bene tamen analogica & subordina-
tionis.

IV.

Negatâ potentiâ secundâ non statim tollitur prima. Sic
etsi quis nunquam ridet, potentia prima videndi nihilominus erit prædi-
ctus.

V.

Qualitas qualitati est contraria. *Scilicet terminativè, quia*
sole qualitates sunt terminati contrarietatis propriè sit dicta. At dicit lupus
ut substantia odit ovem ut substantiam. R. Hoc provenire non à
substantia lupi sed ab antipathia, qua lupus ovem natura sua persequitur,
& sic à qualitate.

VI.

Potentia activa naturalis in nihilum agere nequit. *Est*
enim determinate virtutis non infinita.

QUAESTIONES I.

An quantitas continua sit in infinitum divisibilis.

Nobilissima hæc quæstio est, quæ tot clarissimorum viro-
 rum ingenia hætenus exercuit: an scilicet ex indivisibilibus conti-
 nuum componatur, an vero ex divisibilibus; & an continuum sit divisibile
 in infinitum? Continuum componi ex indivisibilibus jam olim
 statuerunt Pythagoras, Democritus, Leucippus quorum senten-
 tiam ab Aristotele refutatam merito rejicimus, & contrariam cum Aristotele,
 & Mathematicis celeberrimus arripimus.

Si enim continuum componitur ex indivisibilibus, v. g.
 linea ex punctis, unum indivisibile cum alio erit, vel continuum
 vel contiguum vel è Φ & Ξ seu deinceps & consequenter. Atqui nullum
 horum conceditur. Ergo continuū non componitur ex indivisibilibus. Nam 1.
 indivisibilia non sunt continua, quia continua sunt, quorum ultima
 & ex.

Extrema sunt unum. Indivisibilem verò ultimum non est. Omne enim extremum distinctum est ab eo, cuius est extremum. Ergo indivisibilia non sunt continua atq; eandem ob rationem nec contigua quæ describuntur quod sint, quorum extrema sunt simul. Neq; etiam indivisibilia, in continuo sunt, è $\Phi\epsilon\zeta\eta\varsigma$ seu se consequuntur. Nam è $\Phi\epsilon\zeta\eta\varsigma$ ea esse dicuntur, inter quæ cum unum sit post alterum, nihil eiusdem generis intercedit. At verò inter qualibet indivisibilia aliud eiusdem generis intercedit, cum inter qualibet duo puncta interjaceat linea, in qua necessario sunt puncta. Ergo indivisibilia è $\Phi\epsilon\zeta\eta\varsigma$ esse nequeunt. Vide Senertum Disputat: Phys. 9 th: 15. 16. & seqq.

Quæritur porrò, an continuum in infinitum dividi possit? in qua quæstione diligenter advertendum est, quod non de divisione reali sed mentali loquamur, ita ut intelligamus, non posse dari quantitatem continuam tam parvam quia intellectus noster, eam in duas partes divisibilem concipere possit, & rursus quam libet harum in duas, & sic porrò semper ad minores descendendo. Deinde non negligendum de quibus partibus quæstio sit accipienda. Reperiuntur in continuo partes, quæ sunt ejusdem proportionis & quæ ejusdem quantitatis. Eiusdem proportionis partes sic se habent, ut talis sit proportio primæ ad secundam, qualis secunda ad tertiam e. g. si dividatur linea in duas medietates & iterum una medietas in duas alias tum proceditur per partes ejusdem proportionis: quia sicut prima est dupla ad secundam, ita secunda ad tertiam, & sic consequenter. Et secundum has partes dicimus, quod continuum sit in infinitum divisibile, quodq; nunquam per partium divisionem ad minimam partem perveniri queat. Partes ejusdem quantitatis sunt, quæ habent æqualem magnitudinem ut quanta est prima tanta sit secunda & tertia, de quibus partibus sermonem hic minime spargimus. Tandem asserimus quantitatem continuum dividi non in infinita sed in finitum & quidem non actu sed potentia. Et hæc de quæstione prima.

II.

*Verumne illud: nulla est substantia, quæ
quanta non sit?*

B 3

Nico

Nicolaus Taurellus lib. 4. Alp. Caesarum quæst. 7. n. 16. f. 762.
inter alia ejusmodi utitur discursu: *Nulla substantia est, quæ quantitas
non sit. Nam quicquid est aliquid, etiam non nihil habet quanti-
tatis. Peripatetici hoc ad materiam restringunt, quod nos omni entia asseri-
bimus. Nam esse Ens; esse unum, est esse aliquid & esse aliquantum.
Multum enim quantitatis, ex multo est essentia. Neq; magnitudinem
aliter definire possumus, quam multarum essentia partium con-
junctionem, ut unaquæq; essentia particula ad magnitudinem afferat a-
liquid. Et paulò post: Sua etiam est earum qualitatum quantitas,
quæ per subjectum corpus extendunt. Hæc Taurellus. Hypotheses
hæc Thomas Sagittarius Cent. 4. axiomatum Metaphysicorum
decuria 5. a. 2. novas vocat, ex quibus colligi poterit. 1. Taurellum o-
mni enti ac proinde substantiæ & accidenti tribuere quantitatem.
Substantiæ non tantum corporeæ, cui alias communiter quantitas assigna-
tur, & finita, ut etiam angelorum sua sit proportio nata tamè quantitas: Ve-
rum etiam infinite ac proinde ipsi Deo. Quod admodum durum &
non nihil sinistra intellectum infinita quasi humeris adfert & infert ab-
surda. 2. Esse unum, esse Ens, est Taurello esse aliquid & aliquan-
tum. Quæ manifestè docent, quantitatem hic admodum late, & pro quavis
essentia diffusionem, distensionem, extensionem, vel etiam continuationem, ut ita
loquamur, accipi. Hactenus Sagittarius.*

Verum enim verò nos istas Taurelli hypotheses planè ab-
surdas, nullaq; excusatione dignas judicamus. Qui enim, Taurello
Deo quantitatem (quod an facias ignoro, sed ex hypothesibus colligit
Sagittarius) assignabis sine compositione. Ubi enim quantitas & sub-
stantia, ibi compositio. Ubi hæc, ibi est dependentia ab alio. Et sic ha-
bebis Deum dependentem ab alio Ente, id creaturam. Deinde quæ
Philosophia te docuit, quod esse Ens, esse unum, sit esse aliquid & aliquantum.
Dicis: Sic sentio. Dico & ego: Philosophi cum tota antiquita-
te aliter sentiunt. Sed Sagittarius l. a. aliquã adfert limitationem
hisce verbis: quod si hoc nimis latum videbitur, nec esse propriè hoc ad Deum
extendendum, addatur unica hæc particula, & erit omnium verissimum sic:
Nulla est substantia creata, vel finita, quæ quantitas non sit: Idq; adhibita di-
stinctione, quam in priore apposui. Hæc Sagittarius. Verum non credi-
mus Philosopho sine rationibus. Angelos facit quantos cum
multis alijs hoc seculo distinguentibus quantitatem insensibilem
&

intelligibilem. Sed si accuratè loquendum, illa quantitas intel-
ligibilis nihil aliud est quàm atramentum rubrum, hoc est contradictio
in adjecto Dicunt esse quantitatem, Metaphysicam. Quasi verò Metaphysicus
formaret quantitatem Metaphysica quantitas nihil aliud est quàm corporum
quantitas, sed alio modo considerata. Metaphysicus enim quantitatem abs-
trahit, ubi invenit. Atqui in Angelis eam non invenit. Ergo ab iisdem abs-
trahere non potest. Sit igitur contra illos hic discursus. Omne Ens,
finitum est quantum, Angelus est Ens finitum. Ergo Angelus est
quantus. Si conclusio vera, hoc sequetur: Omne quantum est ex-
tensum sicualiter. Angelus est quantus. Ergo Angelus est ex-
tensus sicualiter & sic erit corpus. Absurdum.

PROBLEMATATA I.

Cur figurae circulares omnium velocissimè in plano moveantur? R. Quia in puncto
divisionem efficiunt, & sic per medium, cuius
minima est resistentia, moventur.


II.

*Si quantitas continua in infinitum augeri ne-
quit, quem quæso in finem petit Mathematicus
linea infinita ut ipsi concedatur.* R. non petit lin-
eam infinitam simpliciter, sed talem, quæ ipsis
us operationi sufficit.

III.

*An numerus sit multitudo ex unitatibus
collecta.* A.

DEO GLORIA.



05 A 1498

ULB Halle


3


003 778 320



V317







14
CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
SEXTA

De
QVANTITATE
ET
QVALITATE

Corporis Naturalis,

Quam

Prosperante Jehovâ

PRÆSIDE

M. GORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Phlosophicæ
adjuncto

In florentissimâ VVittebergensi Academia

Exminandam proponit

GEORGIUS CAMRADIUS

Pichersrentbo-- Palatinus.

Ad diem 13. Augusti anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERUM.